



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

[Sectio II. Nostra sententia ponitur, & probatur, primo auctoritate.]

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

est, quod verba D. Augustini faveant adversariis, quin potius labefactent evidentem eorum falsitatem; sicut etiam locus D. Thomae citatus ab eodem Folio *num.* 53. pro se nobis maxime patrocinatur, propugnatque nostram veritatem; verba Angelici Doctoris continentur *1. p. q. 26. art. 2. in corpore*, ibi: [beatitudo significat bonum perfectum, intellectualis naturae; & id, quod est perfectissimum in qualibet intellectuali natura, scilicet intellectualis operatio, secundum quam capit quodammodo omnia.] Ecce D. Thomas intelligere Dei vocat operationem, in qua consistit, ut ipse ait, beatitudo Dei formalis; sed beatitudo formalis, quae est operatio praesupponit essentiam beati ultimo constitutam per alia praedicata essentialia distincta ab operatione; quia omne quod operatur, est in actu, antequam operetur, ut docet ipse Angelicus Doctor *lib. 1. contra Gentes, cap. 4. & lib. 2. cap. 5. & quest. 1. de veritate, art. 2. & quest. 1. de potentia, art. 4. ad 3.* ergo evidenter sequitur ex D. Thoma. & ex ipsorum adversariorum sententiis intellectionem divinam non esse ultimum constitutum essentiali.



QVÆSTIO VLTIMA.

Utrum Deus constituatur per affectum, seu esse infinitum simpliciter per essentiam.

SECTIO I.

In qua sententia adversaria proponitur.

PRIMA Sententia docet infinitatem per essentiam esse à se, seu independentiam simpliciter, ita P. Hurtado in metaphysica *disp. 20. de Deo sect. 2. num. 20.* & omnes illi, qui docent, intellectionem actualem esse ultimum constitutum Dei. Probatur primo, quia ultimum constitutum Dei essentiali metaphysicum non debet convenire aliis distinctis ab essentia; sed esse à se, aut infinitum per essentiam non solum convenit essentiae divinae metaphysice conceptae, sed etiam omnibus attributis, & relationibus, quia haec est vera propositio, Paternitas est ens à se, misericordia est infinita per essentiam, iustitia est omnino independentis in omni genere causae; ergo affectus non est ultimum constitutum divinae essentiae.

Confirmatur, ac declaratur; nam licet iste conceptus sit proprius solius Dei, & per illum possit à creaturis distingui, non tamen sufficit, quia opus est, ut eum concipiamus quidditative in aliqua differentia quasi completa, quae sit radix, & origo attributorum; non enim sufficit quivis conceptus proprius ad constituendam naturam, sed ille, qui non attribuitur aliis, neque ab eis oritur ratione nostra, sed à quo ceteri ut patet tum in homine, cuius risibilitas non est quidditativus illius conceptus, quia oritur ex rationalitate; tum in Deo, cuius relationes, & iustitia non sunt quidditativus illius conceptus: Recurrendum ergo ad primam vnam radicem ceterorum; nam conceptus secundarii sunt attributa, quia attribuantur primario; attribui autem

est eos adscribi primario, illum reddendo pro prima radice ceterorum; ut quare Deus se amat quia se cognoscit; ecce amor attribuitur cognitioni, tanquam rationi in propositione causali; cognitio autem non attribuitur amoris tanquam rationi, est enim mala causalis haec; ideo Deus se cognoscit, quia se amat: ergo cognitio non est attributum amoris; sicut amor cognitionis. Vbi advertit, actualem nostram considerationem nihil interesse conceptus primarii, aut secundarii, nisi in quantum ex parte ipsorum praebetur fundamentum, quo per virtutalem distinctionem intellectus ita est ratio amoris, ac si physice esset illius principium, si realiter distingueretur. Quod ergo conceptus ille, à quo oriuntur ceteri absoluti, tanquam à vera causa, si essent realiter distincti; ille enim erit ratione nostra radix ceterorum: igitur ens à se non esse conceptum, cui ceteri attribuantur; patet; quia relatio formaliter, ut relatio est ens à se, & tamen ut relatio formaliter non est ratio, cui attribuitur amor, scientia visionis, providentia, &c. ergo ens à se non est, cui attribuantur ceteri conceptus. Patet consequentia, quia si illi tribuerentur, ubicumque esset attribuerentur; cur enim magis hic, quam alibi; antecedens patet, quia relatio ut relatio tantum servit oppositioni relative, & constituit originem activam, aut passivam; nam filiatio v. g. non est ratio formalis, cui attribuitur iustitia, sicut neque ceteris relationibus; ergo natura Dei in ratione naturae aliquid addit supra ens à se, cui ceteri conceptus attribuantur.

SECTIO II.

Nostri sententia ponitur, & probatur, primo auctoritate.

Conclusio: Deus vitimo & formalissime constituitur per affectum, quae infinitas per essentiam simpliciter est. Probatur primo auctoritate D. Augustini, qui volens assignare distinctivum proprium Dei respectu creaturarum, omniumque rerum, quae non sunt Deus, docet nihil aliud esse, quam imparticipationem ab alio, seu à se, his verbis. *lib. de cognitione vera vite, cap. 7.* Porro summus spiritus, sicut à nullo intellectu valet proprie cogitari, ita nulla definitione poterit proprie definiti, vel determinari. Si autem aliquis insipiens, tantum desinat, ut Deum esse diffidat, hunc solum vere esse, & alia omnia ab ipso habere esse haec ratione colligat omnis substantia, aut per se subsistit, aut per aliud; sed hunc mundum non subsistere qui contendit hic farus in nihilum tendit; mundum autem non per se subsistere constat; dum eum ratio coepisse doceat, partibus enim constat; omne autem quod partibus coniungitur, vel in partes resolvitur, ab aliquo utriusque conjunctionem, vel resolutionem paritur; mundus ergo non per se subsistit, & ideo sequitur, quod creatura sit, creatura autem ad aliquid, scilicet ad creatorem refertur, solus ergo creator per seipsum & in seipso existit; omnis autem creatura per ipsum subsistit, si enim ab alio esse habet, tunc Deo maius est, à quo hoc habet, quod Deo inveniuntur, & cum nihil praeter Creatorem, & creaturam existat, si Deus per seipsum non ha-

Quaest. ult. Vtrum Deus constituatur, &c. 265

bet esse, necessario consequitur, vt per creaturam existat, quod inconuenientissimum est. Amplius, substantia mundi in diuersa genera, & in differentes species diuiditur, & his singulis bonum inuenitur: omne enim vtile bonum, vniuersa quippe vtilia considerantur, & ideo singula bona comprobantur; omne autem bonum, aut per se bonum est, aut per aliud: sed diuersa bona participatione vnius boni imparticipati bona esse necesse est. Diuersitas quippe recipit maius, & minus. Nam quantum ad genus lapis est minus bonum, &c. Et paulo infra restat igitur his maximum & summum bonum, de quo omnibus inferioribus profuatur bonum ipsumque a nullo profuatur, quia summum, & ideo non ab alio, sed a se, & hoc bonum Deus est, de quo quasi de fonte cuncta bona fluunt, & in eundem cuncta refluunt, hic solus vere est, & ideo veritas est; creatura autem ei collata quasi non est, omne enim quod ex nihilo esse capit, in nihilum regi poterit; sed omnis creatura ex nihilo a Deo producta ad aliquid esse est producta: igitur si ei comparatur nihil esse probatur: nulla ergo mens, Deum esse dubitat, per quem alia cuncta esse considerat, ipsum a nullo, cuius essentia est initio, & sine caret. Sic August. vbi clarissimis verbis vltimum constitutum diuinae naturae ab omni distincto a Deo distinguens ipsum, assignat a se, independenciam, seu infinitatem simpliciter, quae concordant ijs, quae protulit ipse August. in *quasiinuel. de Trin.* Vbi ad quaestionem, *an aliquid distet a Deo?* Respondet his verbis [quia Deus eo ipso quod est, viuunt, & eo quo viuunt, intelligit, & eo quo intelligit, potest esse, & eo quo potest esse, necessario est, quia a se igitur est. Vbi suo ordine annumerans praedicata essentialia Dei ponit rationem entis primo, & deinde gradum vitae; non autem ipsum viuere actu, & ideo ait [quo viuunt] scilicet gradum vi uendi, & post gradum vitae ponit gradum intellectuum illis verbis, [eo quo intelligit] & tandem concludit totam illam coordinationem praedicatorum terminari vltimo, & compleri per a se, tanquam per vltimum constitutum diuinae essentiae, vt patet ex illis verbis, [& eo quo potest esse, necessario est quia a se igitur est;] quapropter de mente tanti Doctoris nullo modo potest dubitari.

4 Eandem veritatem expresse docuit D. Gregorius Nizenus, *lib. de hominis opificio, cap. 16.* vbi rationem vltimam per quam Deus a creatura secernatur, assignare volens, ac proinde per quam vltimo constituatur, sic ait, [quid igitur in quo naturae diuinae, & eius, quae ad diuinam est conformata discrimen perspicitur? illud vero in eo perspicitur, quod Dei natura existit increata independensque; hominum vero per creationem orta, hoc deinde discrimen alia quadam consequuntur. Quid clarus, & euidentius ad nostram veritatem roborandam poterat inueniri? vbi S. Doctor peculiare discrimen Dei respectu creaturarum docet oriri ex independentia, & a seitate Dei, & dependentia creaturarum, & hoc vocat discrimen praecipuum, primum, ac proinde quidditatum, & essentialia, ad quod alia quasi accessoria discrimina consequuntur, scilicet per attributa virtualiter dimanantia ab a seitate, vt immensitas, omnipotentia, &c. vt patet ex illis verbis, [quod Dei natura existit increata, & independens, hominum vero per creationem orta; hoc deinde discrimen alia quadam consequuntur;] idque

I. P. Tom. II.

adeo verum credidit Cyrillus Alexandrinus, vt ipsam diuinitatis essentiam contraponat rationi esse creati, & dependentis; sic enim ait, *lib. 3. de Trin. versus finem*, ibi: [diuinitas, proprietas Dei est, quemadmodum & creatum esse creaturam,] quasi propria ac prima ratio diuinitatis sit ipsum esse increatum; sicut primaria ratio, & quasi vltima creatura in ordine ad creatorem est ipsum esse ab alio, seu esse participatum.

Dices esse increatum proprie negatione consistere; omnis autem negatio supponit rationem positiuam: ergo ratio esse increati non est prima in Deo.

Respondeo, ipsam negationem, quoniam ens verum non differt primario, & vltimo ab aliis entibus per negationem, sed ratione aliqua positua essentiali intrinseca, & propria quam cum nos lateat immediate in se, per negationem illam increati, imparticipati explicamus, & meliori modo per a se, quod est posituum vocabulum, quod significat primum, proprium, & vltimum constitutum Dei, per quod principalius, & vltimo secernitur Deus a creatura: explicamus igitur per negationem, quae ad illum proxime sequitur id, ad quod illa sequitur; unde quod praecipue Deo tribuimus, est ens non ab alio, sed a se, quibus verbis describimus posituum essendi modum Deo proprium; & ideo si increatum, & imparticipatum sumatur in vi legationis, non debet assignari pro vltimo constitutum Dei essentiali, quia hoc potius quid non sit Deus, quam quid sit demonstrat, vt optime docuit Damascenus *Orthodoxa fidei, lib. 1. cap. 4. in medio*, his verbis, [quemadmodum nec cum cum ingentum, principijque, ac mutationis, & corruptionis expertem dicimus, haec enim non quid sit, sed quid non sit indicant;] & ideo *cap. 12.* sic ait *prope initium* [quo circa si in creatum ac principij experte esse substantiales dei differentias dixerimus, sic itaq; existimandum est ea omnia, quae de Deo commemorantur, non quid substantiae ratione sit, significare, verum aut quid non sit explicare;] quam veritatem probat Anselmus in *Monolog. cap. 5. & 6.* Ricardus de S. Vi. *lib. 2. de Trin. cap. 11. 12. & 13.* v. Bern. *lib. 5. de considerat. cap. 6.* ex illa Christi homini responsione ad Iudaeos interrogantis Ioann. 8. [Tu quis es; principium, qui & loquor vobis;] nam solum id est verum principium, a quo cetera incipiunt, & ipsum a nullo omnino est, vt pater ex definitione Aristotelis, *5. Physic. cap. 5.* dicentis principia esse, quae nec ex seipsis, nec ex alijs, sed ex ipsis omnia sunt, & ideo quidquid habet causam, principium habet, & ipsum non est simpliciter, & absolute principium; sicut nulla creatura potest esse simpliciter principium; quare Deus ita est a se vt nec a causa extrinseca dependeat, nec a termino extrinseco originem habeat, quae perfectio propria, & vnica Dei positua est & non negatio, vt dixi, quod vt denotarent multi Patres Ecclesiae, & tollerent aequiuocationem docebant, & explicabant hanc perfectionem, ac si Deus a seipso positus esset, hoc est modo aliqua originis; unde Hieronymus in id *Ad Eph. 3.* [Ex quo omnis paternitas, &c.] sic ait Deus sui origo est, suaeque causa substantiae] similiter fere loquitur Augustinus *lib. 83. questionum, quest. 17. & lib. 7. de Trin. cap. 1. ad finem*, & Lactantius *lib. 1. insti. cap. 7.* quam opinionem ex parte docuit

L. Hentis.

Henric. adducitque verba Anselmi in *Monolog. cap. 1.* ubi hanc questionem tractans ipse Anselmus in hunc modum interrogat, [quomodo ergo tandem esse intelligenda est per se, & ex se si nec ipsa se fecit, nec ipsa sibi materia extitit, nec ipsa se quomodolibet, ut quod non erat, esset adiuvit?] cui interrogationi respondet, traditque solutionem, sumpto exemplo à luce, quæ est forma lucentis in hunc modum; nisi forte eo modo intelligendum videtur quod dicitur; quia lux luget, vel lucens est per seipsam, & ex se ipsa, quemadmodum enim sese habent ad invicem lux, & lucere, & lucens, sic sunt ad invicem essentia, esse, & ens;] sed ne aliquis perperam intelligat ita esse Deum à se ut seipsam producat, ideo Bernardus *lib. 5. de considerat. cap. 6.* sic ait [à se caput nihil, nisi forte quis putaverit quod non erat dare sibi potuisse, ut esse inciperet aut fuisse aliquid antequam esset, quod utrumque quia ratio non consentit, constat nihil sibi met extitisse principium,] ubi à parte D. Bernardus reprehendit eos, qui ita intelligunt, Deum esse à se, ut se fecerit, aut produxerit; quod omnino esse impossibile demonstrat, alias Deus fuisset antequam esset, quæ demonstratio usurpatur etiam à D. Hieronymo in *expositione Epistolæ ad Rom. cap. 1.* ibi: [quod vero non seipsa fecerint, manifestum est, quia si se ipsa fecerunt, iam erant antequam fierent, ut se facere possent, quod valde absurdum est dicere. Itaque hæc positiva perfectio Dei ita est intelligenda, ut Deus non se produxerit influendo in seipsam, sed potius ita esse à se, id est ex sua essentia habere esse explicatum hoc per negationem essendi ab alio. quibus verbis exprimitur quedam eminentia positiva Dei sola, & propria ipsius, quæ nostra modo intelligendi non repugnat, ut dicamus, Deum esse à se tanquam à ratione formali, (ut bene notat P. Christophorus Gillius) quemadmodum ea quæ pertinent intrinsece ad essentiam concipere, ac nominare solemus per modum formæ adhuc in divinis, unde divinitatem Dei formam appellavit Paulus Apostolus *ad Philippen. 2.* nam quemadmodum Socrates ab humanitate, tanquam à causa formali habet, ut sit homo, ita essentiam Dei concipimus ut causam formalem ipsius esse, quoniam sicut se habet vita ad vivere, & lux ad lucere, ita essentia ad esse.

7 Verum enim vero maximum discrimen versatur inter hæc cum modo creaturis. modo Deo ascribuntur, in creaturis enim ipsum vivere à vita, lucere à luce & esse distinguitur ab essentia; in Deo autem nulla est inter ea distinctio, & ita non admittitur in divinis vera ratio causæ formalis, sed solum metaphorica; & nostro intelligendi modo, quo res dicuntur esse à se, ac per se; cum prædicatur de ipsis aliquid pertinens intrinsece ad essentiam, qua ratione homo dicitur rationalis à se, & per se; quia rationalitas est quasi forma intrinseca essentiæ.

8 Et hoc credo intellexisse Hieronymum, cum dixit Deum sibi esse causam, ut sit, hoc est quia intrinsece, & ab essentia sua habet ut sit, quod patet manifeste ex similitudine ignis, qua vitatur, nam ait ignem à se esse calidum; alia non à se sed ab igne, quia ignis per naturam suam, & non alterius extranei participatione calidus est, [cætera, quæ ex igne calefiunt, calorem illius mutantur;] in hoc sensu concedi potest, Deum esse à se positive, non ita ut verba illa à se indicet

causalitatem, vel originem sed rationem formalem intrinsecam, qua Deus nostro intelligendi modo est ipsum ens; ad quod tendit similitudo Anselmi sumpta à luce, quæ dicitur lucens à se.

Prævidens autem S. Doctor non esse adæquatam similitudinem in rebus creatis ad exprimendam divinam, statim initio præmisit, unde id coniici possit, inquit [nisi forte eo modo intelligendum videtur quod dicitur, quia lux luget, vel lucens est per seipsam,] itaque solum vult, quemadmodum lux est formalis ratio intrinsece lucentis cum distinctione, ita sine vlla distinctione essentiam dei esse rationem formalem intrinsecam eius, quod est, & in hunc sensum dixit Ricardus *lib. 1. de Trinit. cap. 12. & 13.* quod essentia divina à semetipsa habet totum, quod habet; unde Magnus Dionysius *cap. 3. de divinis nominibus* inquit, [nam Deus non quoquo pacto est ens, sed simpliciter, & incircumscripse totum à se in se esse patenter ambit, & præambit, super apprehendens.] Ob eandem causam Athanasius oratione contra idola, satis post medium, Deum vocat ipsam essentiam, non de foris, sed ab intrinseco, his verbis; Deus autem, qui est ipsa essentia intrinsece, & non de foris, nullis partibus coalescit; quapropter, & eius ratio ipsum esse à se est;] quasi dicat, Deum non habere esse ab extrinseco aliquo principio neque habere emendicatum ab alio essentiam ut creaturæ, hoc enim sonant illa particulari de foris, sed ab intrinseco; quia quod ab alio extrinseco advenit, causatur, & producitur. non ab intrinseco, sed de foris venit; unde in deo non est vlla ratio formalis, qua sit, quæ non sit ipsum esse ipsius, & proinde quia partes non habet, totum suum esse est; quod significare volens Philo *lib. 1. Allegoriarum sacra legis*, ita docuit sibi ipsi locus est & ipse seipso plenus, sibi que sufficiens, utpote vnus, & totus ipse ens;] si quid in creatura maxime non est ipsa locus eius est, qui illam ambit extrinsece; & ideo Philo ut ostenderet, deum esse maxime eundem sibi & totum, quod est etiam sibi locum esse dixit.

10 Illustris locus est apud Bernardum *lib. 5. de consideratione, cap. 6.* ubi sic habet; [si bonum, si magnum, si beatum, si sapientem, vel quidquid tale de Deo dixeris in hoc verbo instauratur, quod ex se est, nempe hoc est ei esse quod hæc omnia esse, si & centum alias addas, non recessisti ab esse si ea dixeris, nihil addidisti;] si non dixeris, nihil minuísti, si vidisti hoc tam singulare, tam summum esse, nonne in cōparatione huius, quidquid hoc non est, iudicas potius non esse, quam esse.] unde Gregorius Magnus, *16. moralium, c. 16.* super illa verba, ipse enim solus est, expresse docet, deum esse à se, & hoc tam proprie deo conveniens ut nulli præter ipsum congruat, quærens enim cur, cum tot aliæ res sint, deus solus esse dicatur *Exodi. 3.* [Ego sum, qui sum:] respondit his verbis [sunt hæc omnia, sed principaliter non sunt, quia in semetipsis minime subsistunt, & in gubernantibus manu teneantur, esse nequaquam possunt, solus ille est, qui à se & non ab alio est.] Hoc idem docent Hieronymus super illud ad *Ephes. 3.* sed clarior Damascenus *libro. 1. cap. 8.* appellans deum ipsam essentiam, & causam subdit [utpote quæ nec esse suum, nec quidquam eorum quæ est, ab alio habeat: verum ipsa potius iis, quæ sunt essentia, iis, quæ vitam habent vita iis,

Quaest. vlt. Vtrum Deus constituatur, &c. 267

ijs, quæ ratione vtuntur, rationis seaturigo sit; id ipsum volunt ij, qui idcirco Deum proprie, ac simpliciter appellari volunt ens; quod ipse sit ens à se, cætera eius participatione, ita Anastasius Sinaita lib. 2. de Fidei dogmatibus: Deus sane solus est ens, proprie sumptum, quod pari modo, se semper habeat, nec mutetur; si quid præterea in eius participium venit; vt vocetur ens, non statim primitiue est ens, sed participatio eius, qui proprie, & primitiue, forte autem singulariter, & solitarie est ens. Itaque contraponit ens per participationem enti, quod proprie, & primitiue est ens, quod Gregorius, vbi supra appellatens principaliter, id vero solum est, quod non habet esse ab alio, sed à se; nam si ab alio habet, id vtique est primitiue, ac principaliter, vt enim ait August. lib. 8. 3. *quæst. q. 2.* non est intelligibile, quod causa excedat suum effectum in entitate, ac perfectione; & ita excluditur à Deo participatio formæ extrinsecæ.

Deinde Deus se ipso est quiddid est, atque adeo non per participationem formæ intrinsecæ, ac tandem ideo Deus est, quale actu est, quia ex se excludit omnem dependentiam, & participationem, & ideo ipsi debentur omnes perfectiones quia ab alio non est, neque alio indiget ad sui esse. Ita August. lib. 2. de Trinit. cap. 4. lib. de triplici habitaculo, cap. 6. & lib. De essentia diuinitatis, cap. 2. Hilarius lib. 7. de Trinit. & lib. 8. ante medium, Cyrillus Alexandrinus lib. 9. de adorat. in Spiritu, & Veritate, inter principium, & medium, Bernard. serm. 80. in Cantica, lib. 3. de considerat. cap. 7. & tract. de diligendo Deo, versus finem, & in particulari Cherubicus Doctor Augustin. excludendo à Deo omnem imperfectionem, quæ reperitur in creaturis, &tribuendo ipsi omnem perfectionem, attribuit hoc, quia in se non admittit dependentiam, & participationem ab alio lib. 11. de Ciuit. cap. 10. concludit, secundum hoc ergo dicuntur illa simplicia, quæ principaliter, verèque diuina sunt, nec aliorum participatione, ibi omnes perfectiones, vel sapientia, vel iustitia, vel beatitudo sunt; vnde ipse August. lib. 6. de Trinit. c. 4. sic ait, Deo hoc est esse; quod est fortem esse aut iustum esse, aut sapientem esse, quia ex se habet esse, participationem excludens in esse. Tandem eodem modo D. Athan. oratione contra idola, prope finem, clarissime nostram veritatem docet, his verbis non ex eo; quod aliqua ex parte istarum communionem adipiscatur, aut ista aliunde aduentitia, aut superuentitia eius naturam ambiant, quales sunt qui istarum rerum participes sunt, ac propterea sapientes, fortes, rationales, efficiuntur; sed quod per se sit ipsissima sapientia, ipsissima ratio essendi ex se, non aliunde, & ab alio.

Ex his omnibus Sanctorum Patrum sententiis tria colligo manifestissime; primum, quod id, per quod vltimo distinguitur Deus à creatura non sit alia perfectio præter asseitatem, independentiam omnimodam, & imparticipationem absolutam. Ex quo sic argumentor. Vltimum & primarium distinctiuium Dei à creaturis secundum omnia hæc loca Sanctorum Patrum est asseitas; sed ex tota Theologia & Methaphysica vltimum, & primarium distinctiuium, ad quod sequitur negatio identitatis cum alio, seu distinctio formalis, quasi specifica, & vltima est vltimum constitutiuium rei, vt discurrenti super omnia genera entium patet: ergo secundum omnes Patres, & Doctores

I. P. Tom. II.

Ecclesiæ citatos, vltimum, & primarium constitutiuium Dei est asseitas ininitudo per essentiam, seu omnimoda independentia ab omni causa.

Deinde aduertendum est, tot Sanctos, tot & tam variis locis de tot, ac tam variis rebus agentes tam vnanimi consensu conuenire sine vlla differentiâ & discrepantiâ in assignando pro vltimo distinctiui asseitatem, & independentiam sine eo quod quantum ad hoc minus aliquam mentionem, aut memoriâ fecerint sapientia, intellectiōis, volitionis, &c. quod euidentissimum argumentum est ad conuincendum quemcunque etiam pertinacissimum de mente horum Doctorum in eo quod sine dubio pro certissimo, & euidentissimo habuerint, asseitatem esse vltimum præcipuum, & quidditatiuium constitutiuium Dei. Nam si aliud sentirent, saltem aliqua vice, aut occasione hac, vel illa inter tot loca, & verba sine dubio dixissent.

Accedit ad hoc; quod quando loquuntur de vita, & sapientia Dei, aut asserunt illam esse communem perfectionem Deo, & creaturis; aut conuenire ipsi tanquam prædicatum contrahibile per asseitatem, & ideo prius annumerant; tanquam vniuersalius prædicatum gradum viuendi, deinde gradum intelligendi, tandem gradum asseitatis & imparticipationis; ergo manifestè aperte colligitur] asseitatem, seu infinitatem per essentiam conuenire Deo tanquam vltimum, quidditatiuium ac propriissimum constitutiuium Dei.

Secundum enim quod colligo est, S. Patres verbis supra citatis asseitatem assignasse, tanquam radicem vltimam omnium perfectionum attributalium, quæ soli conueniunt Deo, vt proprietates, & quasi affectiones diuinæ essentia, per quas à posteriori distinguitur Deus à reliquis rebus distinctis ab ipso; quare vt ex nuper citatis locis D. Augustini, & reliquorum Sanctorum Patrum patet, ita Deo attribuerent sapientiam formalem distinctam à gradu intellectu, iustitiam, misericordiam, ac tandem fecunditatem infinitam; tum ad intra, tum ad extra, vt ipsæ radicentur in diuina essentia ratione asseitatis, & imparticipationis, seu independentia in omni genere causæ; ideoque docent Deum esse omnibus perfectiōibus decoratum, quia infinitus est per essentiam; vnde S. Dionysius 9. de Diuinis nominib. agens de excellentia, & infinita perfectione, quam magnitudinem appellat, inquit: [ac magnus quidem Deus dicitur, tum ex sua magnitudine, quæ se, & cum omnibus, quæ magna sunt, communicat, & per omnem magnitudinem diffundit, atque extendit, locum omnem continet, omnem numerum superat, omnem infinitatem transilit, tum ex summa vi, actionisque magnitudine, ac numeris, quæ ab ipso, quasi fonte manant, ipseque à nullo fonte fluit. Quibus non solum infinitatem immensitatis, sed etiam potentia, sapientia & reliqua Deo attribuit, quia eam infinitudinem habere putat; quarta est omnium bonorum foris, vt nullius alterius indigens sit: eodem sensu Greg. Nazianzenus orat. 38. Deum appellauit Pelagus quoddam essentia immensum, & int. minatum; quia à se est, quæ verba etiam Nicetas in illud eiusdem orationis [Deus & erat, &c. de immensitatis & infinitate æternitatis, inoprehensionis interpretari videatur, reuera infinitatem asseitatis simpliciter, & per essentiam Dei significat, proxime namque dixerat Nazianzenus, Deum in monte Sina se ipsum appellasse nomine, qui est, videlicet qui

Ll 2 ita

ita est, vt à nullo alio sit, vt indicaret in seipso completi vniuersum, quod est; nomen enim qui est, vt optime explicat Augustinus; *tract.* quo de hac particula egit; ideo de Deo inter cetera propriissime dicitur, quia ipsum per essentiam & ex se esse significat, quam sententiam Nazianzenus explicat *eodem loco* Nicetas his verbis: [at Deus semper est, & vt cum diuino loquo Dionysio dicam vniuersam essentiam in seipso completur: ego enim inquit scriptura, sum primus, & ego postea, & ante me non est alius Deus, nec post me futurus est: tota enim essentia illius, nec principium habens, nec finem habitura, quasi vastum quoddam pelagus essentiae est & perfectionis;] vbi quamvis Nicetas ad durationis infinitatem respexit infinitatem tamen simpliciter secundum esse, hoc est a seipso, & independentiae, in modum à nobis expositum, etiam intellexit, illis enim verbis, antea non est Deus] dignitatis, independentiae, & a seipso infinitatem expressit, perinde namque est dicere, ante me non est Deus; atque à me ipso sum, & à nulla alia causa essentiam, & esse accipio; quia haec potissima, & prima omnium infinitas est, ad quam ceterae infinitates, & perfectiones sequuntur, & ex qua reliqua attributa secundum rationem proficiuntur; quae omnia ita docet expresse D. Damascenus vt transcripsisse videatur ex Nazianzeno; verba Damasceni *lib. 1. fidei, cap. 1. in medio*, haec sunt: [ex omnibus porro nominibus quae Deo tribuuntur, nullum aequè proprium videtur, atque entis nomen, quemadmodum ipsemet cum Moysi in monte oracula ederet, ait die filiis Israël, qui est, misit me; vniuersum enim: id quod est, tanquam infinitum quoddam pelagus complexu suo continet nullius indigentia laborat.] Ecce quomodo D. Damascenus tanquam proprium, & vltimum constitutum Dei assignat, immo & magis peculiare Dei, vt patet ex illis verbis, [ex omnibus porro nominibus, quae Deo tribuuntur, nullum aequè proprium videtur.] Infinitatem per essentiam nullius causae indigam, cui in toto illo capite attribuit Damascenus sicut & Nazianzenus omnes perfectiones, & attributa divina soli Deo conuenientia.

- 16 Atqui praedicatum illud essentiale, quod est radix proprietatum alicuius est vltimum constitutum essentiale illius; ergo infinitudo per essentiam, a seipso, seu independentia ab omni causa secundum sanctos Doctores est vltimum constitutum diuinae essentiae.
- 17 Tertium, quod colligo, est sanctos Patres, qui de a seipso, & sapientia loquuntur, dum agunt de sapientia, variare in hoc, quod sapientiam, quandoque doceant esse diuinam substantiam, quandoque affirmant esse quasi accedens fluens à diuina essentia, quod ita concordari debet, vt à parte rei identificetur cum substantia Dei, per intellectum autem quasi fluere ab essentia dicatur, dum vero agunt de a seipso semper loquuntur de illa, ac de praedicato essentiale, vt patet ex Damasceno *lib. 1. fidei, cap. 4. prope finem*, ibi: [quacunque autem de Deo per affirmationem dicimus non ipsius naturam, sed quae circa ipsius naturam sunt, ostendunt, ita siue bonum, siue iustum siue sapientem dicere libeat non Dei naturam, sed quae naturae insunt, exponis.] Ecce quomodo Damascenus loquens de sapientia, sicut de bonitate, & iustitia ait, non esse naturam, sed affectionem, circumstantiam, & quasi proprietatem, qualificatiuam naturae; è contra vero agens

ipse S. Doctor *cap. 3. eiusdem libri 1. fidei, in fine*, de a seipso, seu de esse increato Dei, ait esse quidditatem ipsius his verbis, [increatus ergo omnino summus ille opifex, hoc autem quid tandem aliud esse queat, quam Deus;] quod etiam expresse docet *cap. 10.* loquens de esse increato, seu a seipso sub nomine infinitudinis per essentiam his verbis: [vniuersum enim id, quod est tanquam infinitum essentiae pelagus complexu suo continet] & paulo infra [Anarchum porro, hoc est ortu carens, & increatum, quod quid Dei est.] Ecce per a seipso essentiam demonstrat.

Augustinus etiam eodem modo loquendi utitur eandem differentiam ponens inter a seipso & sapientiam nostro modo intelligendi *lib. 1. de Trinitate, cap. 5.* ibi: [quidquid secundum qualitates illi dici videtur (vtique secundum nostram rationem) secundum substantiam, vel essentiam esse intelligendum, videlicet secundum rem.] Explicans autem, quae sint haec, quae modo nostro intelligendi qualitates videntur, sic ait *lib. 6. de Trinitate, cap. 4.* [Deo hoc est esse, quod est fortis esse, aut iustum esse, aut sapientem esse, &c. idem docet *cap. 10. & lib. 7. cap. 1. secundum 4. & 6. & lib. 8. cap. 1. & lib. 15. cap. 6. & lib. de speculo, cap. 33. & lib. 8. de ciuitate, cap. 6. & ex ipso Beda in illud ad Rom. 11. Inuisibilia enim ipsius. Fulgentius lib. 1. ad Trasimundum, & lib. 2. ad eandem, in responsione 7. contra Arianos. Boetius lib. 1. de Trinitate. Hugo de Sancto Victor in summa: Quod adeo verum est vt D. Augustinus, & cum eo Bernardus, *serm. 80. in Cantica post medium*, doceant, sapientiam, iustitiam, magnitudinem, & bonitatem Deo conuenire dicant, eo quod ipse sit à se, ac si tales perfectiones, vt attributa, & quasi qualitates qualificativas proprietates iudicent esse respectu vltimi constitutui Dei independentiae nimirum, & infinitatis per essentiam, quam a seipso appellamus, verba Bernardi haec sunt: [nec enim aliunde bonus, quam vnde magnus, nec aliunde iustus, ac sapiens, quam vnde magnus, ac bonus, nec aliunde denique simul haec omnia, quam vnde Deus, & haec quoque non, nisi à seipso.] Ecce a seipso vocat id ratione cuius quali pullulant in Deo perfectiones sapientiae, iustitiae, & bonitatis, ac proinde nostro modo concipiendi illas vt affectiones, a seipso vero, vt substantiam, & essentiam concipimus; quod etiam clare docuit Ricardus de Sancto Victor *lib. 1. de Trinitate, cap. 13.* ibi, [vt igitur habeat non nisi à seipso ipsa quod habet de, ipsa potentia, quod habet de ipsa sapientia necesse est.]*

Ex quibus evidenter colligitur vltimum, ac principium essentiale constitutum Dei non esse sapientiam, iustitiam, bonitatem &c. sed solum a seipso, seu infinitatem per essentiam, quia si sapientia talis esset, non solum à parte rei, sed etiam nostro modo intelligendi, vt substantia, & essentia concipi deberet, eo modo quod a seipso dicitur ab ipsis: ergo si vniiformiter asserunt a seipso esse (quomodocunque sumatur, siue à parte rei, siue per intellectum) substantiam, quidditatem, & essentiam, sapientiam autem asserunt, quasi qualitatem esse essentiae: ergo manifeste sentiunt Doctores non sapientiam, aut aliam perfectionem, sed potius a seipso esse vltimum, propriissimum, essentiale constitutum Dei.

SVBSECTIO I.

*Auctoritate D. Thomæ, & Aristotelis
probatum eadem veritas.*

20 **D**ivus Thomas *lib. 1. contra Gentes, cap. 22.* loquens ratione tertia, in fine de quidditate, & essentia Dei quatenus propria ipsius est, sic ait: [Deus autem est prima causa non habens causam: igitur ista quidditas, quæ acquirit esse aliunde, non est quidditas Dei; necesse est igitur, quod Dei esse quidditas sua sit,] utique sine causa, & non aliunde, & ratione 6. sic concludit; [amplius omnis res est per hoc, quod habet esse; nulla igitur res, cuius essentia non est suum esse, est per essentiam suam, sed participatione alicuius, scilicet ipsius esse; quod autem est per participationem alicuius non potest esse primum ens; quia id, quo aliquid participat ad hoc, quod sit, est eo prius: Deus autem est primum ens, quo nihil est prius; Dei igitur essentia est suum esse: hanc autem sublimem veritatem Moyses à Domino est edoctus, qui cum quæreretur à Domino Exodi 3. dicens, si dixerint ad me Filij Israël, quod est nomen eius; quid dicam eis. Dominus respondit: ego sum qui sum; sic dices Filiis Israël qui est misit me ad vos, ostendens suum proprium nomen esse, qui est,] videlicet primum ens omnem participationem excludens à se, ut patet ex primis verbis huius sexti argumenti D. Thomæ, eodem modo loquitur, *lib. 2. contra Gentes, capite 15. argum. 4. ibi;* [item quod per essentiam dicitur est causa omnium, quæ per participationem dicitur, sicut ignis est causa omnium ignitorum in quantum huiusmodi, Deus autem est ens per essentiam suam, quia est ipsum esse; omne autem aliud ens est ens per participationem.]

21 Et tandem *lib. 3. contra Gentes, cap. 66. ratione 6.* sic ait: [Præterea quod est per essentiam tale, est propria causa eius, quod est per participationem tale, sicut ignis est causa omnium ignitorum; Deus autem solus est ens per essentiam suam, omnia autem alia sunt entia per participationem.] In quibus omnibus locis soli Deo convenire docet esse imparticipatum, seu infinitatem per essentiam, quam aseitatem vocamus, & hoc, non tanquam aliquam proprietatem, sed potius tanquam distinctivum essentiale, & radicem omnium attributorum soli Deo convenientium, sed hæc omnia sunt prædicata quidditativa differentia ultimæ essentialis, seu ultimi, & propriissimi constitutivi alicuius subiecti, ut ex dictis liquet, ex terminis patet, & ex dicendis amplius manifestabitur; ergo secundum D. Thomam aseititas, infinitudo simpliciter, seu esse per essentiam est ultimum constitutivum Dei.

22 Nec minus clare docuit hanc veritatem Aristoteles *libro 2. de celo, text. 63.* his verbis: [et autem quod optime se habet; nihil actione opus est, est enim ipsum id cuius gratia.] Quibus verbis aperte docet Philosophus, Deum à se & non ab alio esse, nullamque causam, tam efficientem, quam finalem habere, ac proinde non per participationem, sed potius per essentiam esse, unde negat Aristoteles, Deum actione ad sui esse indigere vlla, ut patet ex illis verbis, [nihil actione opus est:] & hoc attribuit Deo, tanquam propriissimum prædicatum, ratione cuius illi convenit esse optimum & esse ultimum finem, cuius

gratia cætera sunt, ut liquet ex verbis illis: [optime se habet, est enim ipsum id, cuius gratia.] rationem autem horum attributorum, & perfectionem tribuens à priori, profert illa verba, & autem quod nihil actione opus est. Quorum verborum permixtum positum, si ad claritatem reducat, sensus hic est, quia Deus nulla actione agentis indiget, minimeque esse participatum habet ab alio; sed potius à se est ens infinitum per essentiam est optimum, ac infinite, & summe perfectum, causa tam efficiens, quam finalis omnium rerum distinctarum à Deo: ergo si Aristoteles pro prædicato proprio essentiali, quod sit radix attributorum omnium, & perfectionum, quæ de Deo verificantur, assignat aseitatem, infinitatem per essentiam: evidenter, & manifeste sequitur illam esse ultimum constitutivum essentiale Dei.

SVBSECTIO II.

Rationibus demonstratur nostra veritas.

23 **P**rimo, quia illud est ultimum constitutivum alicuius subiecti essentialiter, quod quidditative ita illi convenit, ut sit radix omnium proprietatum talis subiecti: sed aseititas, aut infinitudo per essentiam est huiusmodi respectu Dei: ergo aseititas est ultimum essentiale constitutivum Dei. Maior est evidens: & ab adversariis admittitur, quia proprietates soli subiecto convenientes radicantur in essentiali prædicato, non communi, vel universali; (alias tales proprietates non solum tali subiecto; sed etiam reliquis convenientibus cum illo convenirent; ideo enim sensus non solum homini, sed etiam aliis animalibus conveniunt, quia radicantur in prædicato quodam essentiali communi illis) sed proprio, ultimo, & particulati, ut videre est in homine, cuius risibilitas, capacitas disciplinæ, & admirabilitas, quæ sunt proprietates illius, non radicantur in aliquo prædicato communi essentiali, sed in proprio, & ultimo illius, videlicet rationalitate, quæ ultimo constituit hominem est radix illarum proprietatum, & sic de cæteris: ergo illud est ultimum constitutivum alicuius subiecti esse essentialiter, &c.

24 Minor in qua est tota difficultas sic demonstratur primo, quia unicum medium à priori quod omnes Theologi invenerunt ad demonstrandum, Deo convenire omnia attributa, & infinitas perfectiones, verbi gratia, immensitatem, fecunditatem ad intra, & ad extra infinitam, omni simplicitatem & reliqua, est solum aseititas, quare primum à posteriori ex illo principio, quidquid primo producit, ab alio producit, negando, & excludendo processum in infinitum, demonstramus dari quoddam ens à se imparticipatum, & omnino independens ac per consequens infinitum per essentiam, quam infinitatem, & aseitatem, non aliter, nisi ut dictum est potest demonstrari à priori, & per causam, ut videre est in D. Thomæ *lib. 1. contra Gentes per totum;* in Patre Suárez *2. tom. Metaphys. disp. 19. & 30.* & patet ex dictis à me in principio huius tractatus, de Deo, quod adeo verum est, ut nullus hucusque veritatem hanc in dubium ausus fuerit revocare.

25 Demonstrato autem hoc prædicato aseititas per eundem, & manifestam conclusionem à priori demonstravimus, convenire Deo attributa ipsius,

& perfectiones sibi soli conuenientes, proprietatesque ipsius, v.g. omnipotentiam, immensitatem, omnisimplicitatem, omniidentitatem inter absolutissima predicata Dei, &c. nam quicquid à se est, & non ab alio, non est à quo limitetur in aliqua perfectione, aut in aliquo gradu illius, siue in quacunque ratione, tum extensiva, tum intensiva eiusdem: ergo habet omnem & quancunque in summo gradu, quia non est maior ratio, cur habeat vnam, quam aliam; sed fecunditas ab extra infinita, quæ omnipotentia dicitur, omnibonitas, immensitas, omnisimplicitas, & reliqua sunt perfectiones simpliciter simplices, summe, & infinite vnaquæque in suo genere: ergo ratione asseitas conueniunt Deo omnes hæ perfectiones: ergo asseitas est radix inter predicata essentialia Dei, à qua nostro modo intelligendi profluunt hæ veritates, & ratione cuius conueniunt Deo ipsæ; vnde hæc est vera causalis, Deus est infinitus in genere sapientie, quia est infinitus simpliciter per essentiam, sicut Deus est infinitus in genere potentie, & fecundi ad extra, quia est infinitus per essentiam: ergo infinitudo per essentiam simpliciter est quasi radix, & ad modum cause habendi Deum illas perfectiones, & contra est falsa sumptam toto rigore, & à priori hæc causalis; ideo Deus est à se, quia est omnipotens, aut immensus, ut omnes etiam aduersarij concedunt, imo euidenter non potest demonstrare à posteriori per effectus adequatam rationem omnipotentie, quia nullus est effectus, quem cognoscamus adequatum esse exercitium omnipotentie; quia ultra quamcunque creaturam à se factam potest Deus amplius, & amplius facere; imo multi grauissimi Doctores, ut vidimus in *Physicis tractatu de infinito*, negant posse adhuc per potentiam absolutam fieri aliquod infinitum in actu simul, ne exauriatur omnipotentia Dei, ut docet Pater Suarez: ergo nullum est adequatum exercitium omnipotentie, per quod possumus demonstrare à posteriori, immediate infinitatem potentie Dei: ergo etiam per omnipotentiam non possumus immediate demonstrare Deum esse.

26 Quapropter sola vnica restat via demonstrandi Deum per creaturas, ut inquit Paulus *ad Romanos*, inuisibilia Dei per ea, &c. videlicet adiungendo illis duo principia, vnum positium & alterum negatiuum, de quo supra late egimus, scilicet quicquid producit, ab alio producit, & in causis, & effectibus subordinatis non posse dari processum in infinitum, per quæ media demonstramus, ut nuper dixi primum ens, quod non est ab alio, sed à se, cui propter hanc perfectionem conueniunt reliquæ, quæ de Deo proprie, & peculiariter prædicantur.

27 Secundo, quia ut ait Philosophus *lib. 2. metaph. c. 3.* quod est optimum in vnoquoque genere est mensura cæterorum; sed infinitudo simpliciter per essentiam in ordine infiniti est optima: ergo est mensura omnium infinitatum, quæ Deo conueniunt: sed omnis mensura est causa, vel quasi causa; ideo enim obiectum est causa vel quasi causa specificatiua potentie, vel intellectus, quia est mensura illius, & sic potentia, & actus dicunt relationem ad obiectum, mensurabilis ad mensuram, & ideo lux solis est causa lucis lunæ, & reliquorum, quia est mensura illius, & ideo est mensura, quia est optima in genere lucis: ergo de primo ad vltimum quod est optimum in aliquo est causa cæterorum: ergo infinitudo per essentiam, quæ est optima in genere infinitudinis est

radix, vel quasi causa cæterarum infinitatum seu infinitarum perfectionum Deo conuenientium.

28 Tertio sic probatur, quia omne prædicatum essentialiale Deo conueniens eo modo, quo ipsum fuerit, est radix aliquarum formalitatum per modum attributi; vnde quia ratio entis est prædicatum essentialiale communissimum Deo, & creaturis est radix vnitatis, veritatis, & bonitatis, quæ sunt attributa communissima, & quia substantia est prædicatum essentialiale Deo non ita commune, & vniuersale, ac est ens, est radix suppositiuitatis, quæ est proprietas, seu attributum minus commune, quam veritas, vnitatis, & bonitas. Tandem quia gradus intellectus est minus communis, quam gradus substantie & entis, licet communis sit Deo & creaturis perfectissimus, v.g. Angelo, & homini est radix intellectus, voluntatis, & memorie, proprietatum, seu attributorum minus communium, quam perfectitas, veritas, vnitatis, & bonitas sunt, communium tamen, seu conuenientium cum intellectu, memoria, & voluntate creatis.

29 Sed in Deo datur tanquam prædicatum essentialiale asseitas, omnimoda independentia, seu infinitudo simpliciter per essentiam; quia essentia diuina, ut distinguitur à quocunque attributo metaphysico, & formalissime non est ab alio: ergo à se non est dependens villo modo: ergo est independentis, præcipue quia ens ut sic, quod est prædicatum essentialiale omni enti, diuiditur tanquam per differentias essentialiales immediate, & adequate oppositas per asseitatem, & abalietatem, hoc est per esse creatum, & increatum quæ omnibus entibus à parte rei existentibus conueniunt, tanquam differentie essentialiales, quidditative constituentes omnia entia; sed essentia diuina quatenus essentia metaphysica est verum ens reale à parte rei: ergo vel à se, vel ab alio essentialiter, sed non ab alio: ergo à se: ergo asseitas est prædicatum essentialiale Dei quatenus tam formaliter, quam virtualiter, siue ab intrinseco, siue ab extrinseco non fluit ab alio; atqui talis asseitas ita soli Deo conuenit, ut nulli alteri præter Deum possit conuenire: ergo est radix proprietatum & attributorum soli Deo, & nulli præter ipsum conuenientium & ita reperitur in Deo, ut minime sit commune creaturis: ergo est radix aliquorum attributorum minime communium Deo, & creaturis; tum quia omnis essentia est primus conceptus, seu primum constitutum rei; sed ad omne primum sequitur secundum; nam secundum supponit primum; vnde secunda vnitatis primam præsupponit: ergo ad omnem essentiam sequitur aliquis conceptus secundarius: sed attributa, & proprietates sunt secundarij conceptus rei: ergo ad omnem essentiam, seu gradum essentialalem sequuntur attributa & proprietates; tum etiam quia omnis essentia est radix formalitatum non essentialium ab ipsa immediate dimanantium; sed asseitas omnimoda est prædicatum essentialiale respectu Dei, ita soli illi conueniens, ut nullo modo alteri præter Deum conueniat: ergo ad ipsum tanquam ad radicem, & primum conceptum sequuntur proprietates, & attributa, seu secundarij conceptus, quæ soli Deo, & non alij præter ipsum conuenire possunt.

30 Atqui omnipotentia, immensitas, omniidentitas, fecunditas infinita ad intra, ratione cuius datur mysterium Trinitatis, omnisimplicitas, &c. sunt attributa ita propria Dei, ut nullo modo sint communia creaturis, & ita soli Deo conueniunt, & nulli præter ipsum conuenire possunt: ergo

Quæst. III. Vtrum Deus constituatur, &c. 271

asceitas omnimoda independentia, seu infinitudo simpliciter per essentiam est radix harum proprietatum, & attributorum dei.

31 Vltimo, quia semper formalitas, quæ dimanat ab essentia, seu prædicato essentiali sibi correspondente, est eiusdem, vel similis denominationis cum tali gradu; vnde intellectus, & intellectio, qui quasi dimanant à gradu intellectiui habent similem denominationem ipsi; sed infinitudo omnipotentia, & infinitudo scientia, seu scientia infinita, & fecunditas infinita ad intra, immensitas, seu infinitudo præsentia in rationem finitudinis, seu denominatione illius assimilantur asceitati, quatenus est infinitudo per essentiam: ergo virtualiter à parte rei, & formaliter nostro modo concipiendi est radix illarum infinitudinum: ergo asceitas est vltimum constitutum diuinæ nature. Nam vt patet ex verbis Hurtado supracitatis, opus est, vt aliquis conceptus sit vltimum constitutum essentia, vt eum concipiamus quidditatiue per modum radicis, & originis attributorum; non enim satis est quis conceptus proprius ad formalissime & vltimo constituendam essentiam; sed ille, qui non attribuitur aliis, neque ab eis oritur, ratione nostra, sed à quo ceteri, vt patet tum in homine, cuius risibilitas non est quidditatiuus illius conceptus; quia oritur ex rationalitate; tum in deo, cuius relationes, & iustitia non sunt quidditatiuus illius conceptus: ergo ad assignandum vltimum constitutum quidditatum dei, descæctis, depuratis, & circumscriptis aliis, deueniendum est ad vnam primam radicem cæterorum, cuius luculentam causam, & rationem tribuit Angelicus doctor, lib. 2. contra Gentes, cap. 26. in hunc modum, quia conceptus secundarij sunt attributa, quia attribuuntur primario; attribui autem est eos adscribi primario; illum reddendo pro prima radice cæterorum; cognitio autem nostra ita procedit in deo assignando virtutalem emanationem, vt id quod emanat dicatur attributum, & id à quo dimanat dicatur prædicatum essentiale, sicut emanatio formalis à parte rei est causa vt id à quo aliquid emanat sit essentia, & id quod emanat sit attributum: sed asceitas nostro modo concipiendi est conceptus ita primarius, & proprius Dei vt ab illo cætera attributa diuina dimanent per intellectum formaliter, sicut virtualiter à parte rei, imò ab ipsa oriuntur, vel fluent formaliter, tanquam à vera causa, si formaliter à parte rei distinguerentur ab ea: ergo asceitas est vltimum constitutum diuinæ nature, eo quod induat modo nostro concipiendi formaliter, & à parte rei virtualiter rationem radicis cæterorum.

SVBSECTIO III.

Solutio Patris Hurtado ponitur & refellitur.

32 Respondet Hurtado asceitatem non esse radicem cæterorum, nec conceptum, cui ceteri attribuantur, tribuit rationem quia licet relatio sit ens à se, nihilominus illi non attribuantur vt radici cætera attributa, vt amor, scientia visionis, &c. ergo asceitas non est prædicatum, cui attribuantur ceteri conceptus, quia si illi attribuerentur ubicunque esset attribuerentur.

Sed contra manifeste, quia duplex est asceitas,

alia particularis, alia perfectissima, & in omni genere, quæ vniuersalissima asceitas dicitur, prima asceitas est quæ tantum excludit emanationem aut productionem formaliter ab alio, & hæc conuenit formalissime attributis, & essentia, & hæc asceitas excludit omnem causalitatem ab alio; vnde etiam conuenit relationibus diuinis, quia licet formaliter producantur, nullo tamen modo causantur formaliter; itaque omnis conceptus diuinus, siue primarius, siue secundarius immediate, & formaliter est à se, quia immediate, & formaliter est increatus, & imparticipatus, seu independentens, ratione cuius distinguitur à creatura:

33 Alia asceitas est, quæ excludit ab eo in quo est omnem emanationem, dependentiam, productionem, & causalitatem non solum formaliter à parte rei, sed etiam virtualiter, & formaliter per intellectum, itavt conceptus ille, cui conuenit talis asceitas ita sit primum, vt neque formaliter à parte rei, nec formaliter per intellectum, imò neque virtualiter realiter præsupponat alium primum distinctum, siue formaliter, siue æquivalenter à quo vno ex his modis dictis emanet, & causetur, seu producat, & hæc asceitas ita vniuersaliter sumpta opposita omni abalietati nuper dictæ, nullo modo conuenit attributis, videlicet omnipotentia, iustitia, & misericordia; imò neque relationibus diuinis, sed solum essentia diuinæ metaphysicæ, & præcise conceptæ; nam licet relationes, & attributa dei à parte rei formaliter non emanent à diuina essentia tanquam à radice, nihilominus tamen, in omnium sententia emanant tanquam à radice virtualiter à parte rei, & formaliter per intellectum à gradu essentiali vltimo Dei tanquam à prima radice intrinseca: ergo in hoc sensu attributa, & relationes dicuntur ab alia, vtique non formaliter, sed virtualiter distincto: ergo non mirum; quod relationi, & attributis non conueniat esse radicem cæterorum, quia neque relationes, neque attributa habent omnipotentiam, seu vniuersalissimam rationem asceitatis, quæ optima est in genere asceitatis, ac proinde debet esse radix, & quasi causa virtualiter cæterarum asceitatum in particulari genere asceitatis constitutarum. Et ratio est, quia omne particulare continetur sub vniuersali, mensuratur ab illo, regulatur ab eodem, & quasi radicatur in ipso, & hæc est ratio quare omnia indiuidua continentur sub specie, & omnes species sub genere, quia species comparata cum indiuiduis est vniuersale, & indiuidua particularia illius, sicut species sunt particularia comparata cum genere; vnde particulares veritates indiuiduorum radicantur, & continentur in speciebus, & regulantur à veritate illarum, quapropter ideo hæc est vera propositio, Petrus est animal rationale, quia hæc est vera omnis homo est animal rationale, vna autem veritas particularis, neque mensuratur neque regulatur per aliam, ac proinde non radicatur in ipsa, & ideo falsa est hæc propositio causalis, ideo est verum dicere Petrum esse animal rationale, quia est verum dicere Ioannes est animal rationale; præterea vna perfectio creata particularis non radicatur, nec fluit ab alia necessario, verbigratia, perfectio Gabrielis Angeli non radicatur, neque fluit à Michaeli, quia tam particulare est Michael ac Gabriel, nihilominus tamen omnes perfectiones creaturarum fluint à Deo tanquam à primo fonte, & radicantur in ipso tanquam in prima radice, quia Deus non solum habet hanc, vel illam particularem rationem perfectionis, sed

ita vniuersalissimam, vt non solum formaliter contineat omnem increatam perfectionem, sed etiam eminenter omnem creatam, itaque ad vniuersalissimam rationem in vnoquoque genere continentem omnem perfectionem illius debent reduci particulares, vnum autem particulare non necessario reducitur ad aliud.

34 Atqui licet relatio habeat aliquam asseitatem, videlicet formalem à parte rei, non emanandi ab alio, nihilominus tamen non habet asseitatem, etiam virtuale, & formaliter per intellectum per quam etiam excludat emanationem virtuale ab essentia, tanquam à prima radice, & tanquam à primo principio, vel actu primo; at vero essentia diuina, vt distinguitur ab attributis non solum habet asseitatem formalem à parte rei, sed etiam virtuale, & formalem per intellectum, itaque omnem asseitatem habet, quia est radix prima omnium attributorum, & perfectionum essentialium, quæ per ipsam à priori demonstrantur; itemque relationum diuinarum propter quod magnus Dionysius *cap. 2. de diuinis nominibus, part. 2.* Filium & Spiritum sanctum vocat fecundæ deitatis germina plantata diuinitus, & veluti flores, & Cyrillus, *lib. 3. thesauri, cap. 3.* Spiritum sanctum fructum diuinæ essentia, & passim Patres, & Doctores Patrem vocant principium filij, & Spiritus sancti ratione essentia fecundæ: ergo essentia diuina ita est prima radix, seu primus conceptus Dei, vt omnes secundarij ab ipso quasi dependant, nam quidquid supponit aliud ad sui intelligentiam, aliquo modo dependet ab illo tanquam à primo: atqui diuina attributa supponunt essentiam diuinam, nec enim sapientia, iustitia, æternitas, & similia esse, aut intelligi possunt sine illa, cuius propriæ sunt: ergo ab illa sunt, &c. & ab illa nostro modo intelligendi formaliter, & virtualiter à parte rei fluunt: ergo virtualiter nostro modo concipiendi non habent attributa omnem asseitatem, licet habeant aliquam peculiarem scilicet formalem, negando omnem causam formaliter.

35 Essentia autem ita habet omnem asseitatem & ita vniuersaliter est à se, & ita est primus conceptus, vt neque formaliter à parte rei, neque formaliter per intellectum, neque tandem virtualiter realiter dimanet ab alio priori, quia omnibus modis essentia est prior: ergo non mirum, quod essentia diuinæ omnia attributa adscribantur, & in ipsa radicentur, ratione huius vniuersalissimæ asseitatis, licet relationi non attribuantur omnia attributa ex eo quod habeat particularem asseitatem solum, & non vniuersalissimam: exemplo declaratur hoc. Nam si aliquis interrogaret cur omnes flores, & fructus arboris mali punici, videlicet vltimo radicentur in trunco, non autem omnes in hoc, vel illo ramo, cum ramus etiam habeat rationem radices respectu huius fructus, horum florum, & foliorum, facilis esset responsio, videlicet quod truncus habet vniuersalissimam rationem radices, ratione cuius vniuersaliter debent, omnia in arbore dimanantia ipsi trunco adscribi, & in ipso radicari, licet non radicetur vnus ramus in alio, nec flos, & fructus aut folium vnus rami in alio, eo quod licet habeat aliqualem rationem radices, non habet omnem, & vniuersalissimam, sed potius ita particularem, vt sit æqualis cum ea, quam habet alius ramus, vnum enim æquale non est necesse, vt adscribatur alteri, aut attribuatur ipsi, neque vnum particulare est necesse, vt radicetur in alio particulari, licet propter hanc, vel illam causam extrinsecam aliquando radicetur; quæ si ali-

ter contingeret, vel è contra eueniret, poterat id particulare quod radicatur in alio, esse radix ipsius, cuius tota ratio est negatio vniuersalis radices.

Deinde vnus homo necessario non dependet ab alio, neque fluit necessario ab ipso, quapropter hic homo Petrus videlicet, qui producit Paulum, posset si voluisset Deus, produci à Paulo, nihilominus tamen omnes creaturæ debent produci necessario à Deo, ita vt nec diuinitus possit aliter contingere, cuius discriminis ratio est, quod Deus est radix vniuersalis, seu continet omnem rationem entis, & est primum ens simpliciter, cum autem creatura respectu alterius non sit huiusmodi, inde est, quod necessario non petat esse radicem alterius sibi æqualis, &c.

36 Sed sola diuina essentia vt distinguitur ab attributis est prima ratio omnimodo, tam virtualiter, quam formaliter à parte rei, & per intellectum, in quo excedit omnia attributa, ac proinde habet omnem rationem asseitatis & negat vniuersaliter abalicitatem; vnum autem attributum non continet omnem asseitatem, sed solum aliquam peculiarem, vt iam explicui, & vnumquodque attributum in solo suo genere cum æqualitate respectu alterius; nam ita est à se formaliter iustitia, sicut relatio Paternitatis, & ita habet asseitatem misericordia, sicut sapientia, neque vna est à se propter aliam.

37 Ergo non mirum quod omnia attributa radicentur in essentia, ratione illius vniuersalissimæ, & omnia asseitatis, & quod vnum attributum non radicetur in alio.

38 Secundo, respondeo in sententia probabilissima eorum qui dicunt, essentiam diuinam transcendere omnia attributa, & relationes, & in hac opinione concedamus vnumquodque attributum habere omnem asseitatem; in hoc autem casu dico, vnumquodque attributum habere huiusmodi vniuersalem asseitatem, non ratione sui secundum id explicitum, quod addit supra diuinitatem, sed ratione diuinitatis, & diuinæ essentia formalissimæ constitutæ vltimo per asseitatem hanc, & ratione sui formalissimæ habentis illam, quam per transcendentiā communicat attributis; attributa enim secundum explicitum per quod distinguuntur ab essentia diuina transcendente ipsa non dicunt esse à se formaliter, sed potius habere omnem perfectionem illius attributi, tam intensiuam, quam extensiuam, quæ infinitas attributi dicitur; verbi gratia, iustitia, misericordia diuina secundum expresse, quod addunt supra rationem asseitatis diuinæ essentia, solum dicunt, & expriment omnimiseriordiam, & omnijustitiam, hoc est inclusionem vt ita dicam omnis perfectionis, tam extensiuæ, quam intensiuæ illarum per quam habent pro obiecto adæquato non hoc, vel illud exercitium, miserendi, aut puniendi; sed omne, in quo distinguuntur virtutes diuinæ quoad expresse à iustitia, & misericordia creata, quia hæc non sunt omnium misericordia, & omni iustitia, sicut diuina, hoc est infinita, tam intensiuæ in ratione misericordia, & iustitia, sed potius sunt limitata iustitia & limitata misericordia limitatam intensiuam, & extensionem habentes.

39 Ergo non mirum, quod omnia attributa, quæ asseitatem habent, non à se, sed ab essentia, & in illa quasi dependent ab ea, attribuantur ipsi radicentur in ipsa, licet nullo modo vnum attributum adscribatur alteri, & radicetur in altero, siquidem

Quaest. III. Vtrum Deus constituatur, &c. 273

siquidem vnum attributum non accipit perfectionem ab altero.

40 Vltimo respondeo in sententia P. Vasquez negantis, essentiam diuinam transcendere attributa, & relationes villo modo, relationem diuinam solum identice, & materialiter, & non formaliter, aut virtualiter esse à se; quia talis asseitas neque quoad expressum, neque quoad confusum misericordiae conuenit, aut relationi, nam relatio adaequate distinguitur virtualiter à parte rei à diuinitate, & formaliter per intellectus distinctione excludentis ab excluso; cum autem asseitas solum conueniat diuinæ essentiae formaliter, & formaliter nullo modo attributis, & relationibus; quia relationes diuinæ formaliter non sunt respectus à se, nec formalitates à se, sed potius formalitates, & respectus entis à se, seu primi simpliciter, Dei nimirum, inde est, quod omnia attributa entia attribuantur essentiae à se; quia ratione asseitatis est mensura illorum & fundamentum, cui innituntur illa nostro modo intelligendi; sicut substantiae innituntur accidentia à parte rei; licet vnum attributum non radiceatur in alio, neque attributa absoluta in relationibus; ergo nullius momenti est solutio Patris Hurtado ad soluendam difficultatem nostri primi argumenti.

SVBSECTIO IV.

Alia argumenta principalia ad probandam nostram veritatem proponuntur.

41 Secundo sic argumentor principaliter, quia illud est vltimum constitutum essentiae Dei quod fuerit perfectius omnibus praedicatis essentialibus, quae reperiuntur in ipso formalissime: sed asseitas, aut infinitudo per essentiam est perfectior omni praedicato essentiali reposito in Deo: ergo asseitas, seu infinitudo per essentiam est vltimum constitutum diuinæ naturae. Maior est euidentissima, ideo enim P. Herize tract. 1. disp. 3. cap. 3. num. 13. §. Denique; probat intellectiōem diuinam esse vltimum constitutum diuinæ naturae; quia iudicat esse perfectionem omni praedicato essentiali existente in Deo, & hoc similiter omnes aduarij affirmant; & ratio est manifesta, quia in perfectissimo ente, quod est magis proprium praedicatum est perfectius omnibus existentibus in ipso, ut in homine rationalitas est perfectior omni formalitate reperta in eodem; quia rationalitas est praedicatum magis proprium homini, quia soli illi, & non aliis conuenit; nam propter quod vnumquodque tale & illud magis; sed ratione vltimi constitutiui ens perfectissimum superat in perfectione omnia alia imperfectiora se; conuenientia secum in reliquis praedicatis existentibus in ipso. Itaque perfectius, & imperfectius aequali perfectionem habent in praedicatis vtrique communibus; solum autem est perfectius illo ratione vltimi praedicati constitutiui: ergo vltimum constitutum erit perfectius omnibus aliis praedicatis communibus.

42 Minor sic probatur, quia gradus intellectiui, seu intellectio superat in perfectione omnia alia praedicata formaliter reperta in Deo, ut omnes concedunt & asseitas, seu infinitudo per essentiam superat in perfectione gradum

I. P. Tom. II.

intellectiui seu intellectiōem, ut à me late probatum est questione superiori, dum rectoris argumentum Patris Herize contra ipsum: ergo de primo ad vltimum etiam superabit omnia praedicata in perfectione, quae superantur in eadem ab intellectiōe secundum illud axioma; si vinco vincentem te, à fortiori vincam te.

Tertio principaliter sic argumentor; quia id, per quod vltimo, & totaliter distinguitur Deus à quocumque distincto à se, & per quod cum nullo alio conuenit, est constitutum vltimum Dei; sed asseitas est praedicatum; per quod essentialiter vltimo distinguitur Deus ab omnibus creaturis, & ita conuenit Deo ut per asseitatem, seu per infinitudinem per essentiam cum nulla creatura conueniat, sed pure, & totaliter differat: ergo asseitas est vltimum constitutum diuinæ essentiae. Maior est certa, ut videre est in rationalitate hominis, quae est vltimum constitutum illius; quia est pura, & vltima differentia, per quam differt homo à ceteris; sed id, per quod vltimo distinguitur aliquid ab aliis est vltima differentia essentialis illius: ergo id, per quod vltimo distinguitur aliquid ab aliis, est vltimum constitutum illius, quod distinguitur, & ratio est manifesta; quia inter praedicata constitutiva alicuius duplex genus reperitur, aliud per quod conuenit, siue cum his, siue cum aliis; aliud per quod pure differt ab omnibus: atqui illa praedicata, per quae subiectum conuenit, non sunt vltimo constitutiva illius: ergo restat, ut id praedicatum, per quod omnino, ac pure differt ab omnibus, sit vltimum constitutum talis subiecti.

Minor prima, & praecipua est clara; quia asseitas, seu infinitudo per essentiam ita soli Deo proprie conuenit, ut nulli alteri praeter Deum conueniat, ut discurrenti per omnia genera entium patet; & ratio est manifesta; quia ens ut sic adaequate diuiditur in creatum, & in increatum; ita ut praeter hac duo membra in tota latitudine entium nullum aliud detur; atqui asseitas nullo modo conuenit enti creato, alias non esset ens creatum; sed increatum; quod continetur sub secundo membro: ergo solum restat, ut asseitas conueniat soli enti increato; sed ens increatum est Deus: ergo asseitas, seu infinitudo per essentiam ita conuenit soli ut per illam cum nullo alio distincto à se conueniat, sed potius totaliter, & adaequate differat.

Vltimo sic probatur, quia asseitas est praedicatum quoddam, in quo sistit, & terminatur tota constitutio quidditativa Dei; sed huiusmodi praedicatum est vltimum respectu constitutionis diuinæ: ergo asseitas est vltimum constitutum diuinitalis. Minor est manifesta; quia id est vltimum in aliqua progressionem praedicatorum, in quo sistit & terminatur tota illa progressio, ut videre est in homine & Angelo, & ex ipsis terminis liquet; quia vltimum nihil aliud est, quam id, ultra quod res non progreditur; atqui ultra id, in quo sistit, & terminatur progressio praedicatorum essentialium, illa non progreditur: ergo id, in quo sistit & terminatur constitutio essentialis Dei, est vltimum illius.

Maior; in qua est difficultas, sic demonstratur primo, quia id, quod fuerit indissolubile praedicatum quoad expressum, & irresolubile in duos conceptus, & non fuerit primum

M m

constitutivum Dei est id in quo sistit, & terminatur constitutio Dei: sed aseititas, quod expressum est omnino indivisibile prædicatum, & omnino irresolubile in duos conceptus, & ex alio capite non est primum in constitutione divina: ergo est ultimum, hoc est, in quo sistit & terminatur tota constitutio essentialis Dei. Maior est certa, quia inter prædicata, per quæ quidditative constituitur Deus, datur duplex, aliud divisibile, & resolubile in duos conceptus, qualia sunt omnia intermedia, & quæ posita sunt inter ens ut sic, & ultimum constitutivum; & hæc non sunt indivisibilia omnino quoad expressum, nec irresolubilia in duos conceptus, sed potius dividuntur, & partiuntur per intellectum in illos, quia omnia prædicata intermedia Dei quoad expressum constant ratione conveniendi, & differendi, ratione communi, & particulari, ut gradus intellectus v. g. constat ratione vivendi, seu gradu vitali, & ratione percipiendi veritatem, per quam differt à viventibus non cognoscitivis, substantia in Deo constat ratione entis, & ratione perfectitatis, ac proinde duobus conceptibus constant omnia illa, in quos potest dividere intellectus ea, & resolvere sine ulla implicatione, & difficultate.

47 Alia prædicata sunt in Deo, quæ sunt omnino indivisibilia, & hæc sunt solum duo, primum videlicet, & ultimum, illud quia est pura & adæquata convenientia sine aliqua ratione differentia, v. g. ens ut sic, per quod Deus ita convenit cum omnibus, ut ex vi illius formaliter à nullo differat: hoc est quia est pura, & adæquata differentia sine vlla convenientia ut supra dixi: ergo id, quod fuerit indivisibile prædicatum &c. Sed aseititas non est ratio conveniendi cum creaturis, sed potius quoad expressum est pura ratio differendi, ac proinde est omnino irresolubilis, & indivisibilis in duos conceptus, & non est primum constitutivum Dei; quia primum constitutivum est ens ut sic, alias aseititas esset pura convenientia Dei cum creaturis sine vlla ratione differentie, quod est falsum: ergo.

48 Secundo, quia constitutio divina incipit ab ente ut sic, tanquam à primo omnium prædicatorum, & progreditur per substantiam viventem, intellectualem, in quibus non sistit, quia sunt rationes conveniendi cum creaturis: ergo aliud est præter illa, in quo debeat sistere constitutio divina; sed non est aliud, nisi infinitudo per essentiam, aut aseititas, quia sola aseititas, & infinitudo per essentiam soli Deo propriissime convenit, ac proinde est totalis adæquate, & pura differentia: ergo aseititas est id, in quo sistit.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta adversaria solvuntur.

49 Ad primum argumentum respondeo cōcedendo maiorem, & distinguo minorem: sed aseititas cōvenit omnibus attributis, si aseititas sumatur pro ut excludit omnem emanationem tam formalem, quam virtualem à parte rei, nego minorem, ut patet ex supradictis, quia hæc soli essentie convenit; attributa enim sunt ab essentie virtualiter per æquivalentiam distincta ab illis; unde attributa solum habent aseititatem pro ut opponitur emanationi aut productioni formali, quia, formaliter à parte rei neque producantur, neque ema-

nant, sed potius negant processionem ab alio omnibus modis formalem, & realem, quia omnibus modis formaliter realiter identificantur cum essentie; unde quando damus vel assignamus pro ultimo constitutivum divinæ essentie aseititatem, non est hæc, neque alia quæcunque particularis, sed potius universalissima, & eminentissima aseititas negans omnem tam virtualem, quam formalem emanationem ab alio, seu productionem ab illo; ratione cuius essentie divina est primum simpliciter & omnibus modis infinitum per essentiam, quod non habent attributa; quia virtualiter sunt secundarij conceptus. Præterea huic argumento tribuendæ sunt omnes solutiones, quas supra posui, dum refelli hoc argumentum Hurtado, præcipue illa, quæ concedendo transcendentiam, tribuitur à me; in qua concedo, attributa esse formaliter à se, non ratione sui, sed ratione essentie transcendens illa.

Ad confirmationem respondeo, aseititatem convenientem Deo esse radicem omnium attributorum, quæ de Deo cum veritate prædicantur, ut late probavi in prima ratione pro mea conclusione posita. Ad ultimam partem illius confirmationis quæ incipit à §. Igitur ens à se patet ex nuper dictis; quia relatio non est à se eo modo, quo explicuimus convenire essentie Dei; & casu negato, quod conveniat illi formaliter, dico non convenire relationi ratione sui, sed ratione essentie transcendens ipsam.

D V B I V M

Appendix in quo consistat ratio vite divine.

SECTIO I.

Sententia adversaria proponitur.

P R I M A Sententia docet, vitam Dei consistere formaliter in hoc quod habeat perfectionem ab intrinseco sine motu; ita ut per illam particulam, sine motu, distinguatur vita increata à vita creature, quæ consistit in hoc videlicet quod sit perfectio ab intrinseco per motum ab utroque vita abstrahitur secundum hanc opinionem ratio vite in communi, quæ nihil aliud est, quam habere perfectionem ab intrinseco ut sic; hanc sententiam docet P. Hurt. lib. de anima, disp. 3, sect. 1. subsect. 1. §. 1. non enim probat illam, sed solum soluit obiecta contra ipsam.

P. Arriaga disp. 2. de anima, tota sectione 1. confute maxime loquitur de vita; nam licet distinguat duplicem vitam, aliam Physicam, aliam intentionalem, & vitam intentionalem dicat esse appetere, & cognoscere, nihilominus tamen non explicat, quid sit ratio generica vite communis cognitioni, & appetitioni; quia neque cognitio est vita per differentiam cognoscendi, alias appetitio non esset vita, neque appetitio est vivere propter differentiam appetendi, alias cognitio non esset vita cui non cōveniens utriusque: ergo ratio generica vite conveniens utriusque in aliqua formalitate consistit distincta formaliter per intellectum, & virtualiter à parte rei à ratione appetitionis, & cognitionis, sicut animal ut sic